



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Heribertus Ep. 16. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

gallo expergefactus. Veneris flammam vel vepribus suffocavit, vel gelidâ extinxit. Sportulam lautam unctamque cum Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui è manu Divi cœnavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cum lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eripuit enim hunc, pœnamque lupis omnibus illic morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui reditum in patriam impetravit cælo jam receptus) cum Divi effigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cum lupo gremium premente præbuerit. Porro TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percuperes. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. *Ex Ferrar. & Chron. Min.*

*Væ tibi, qui post lapsum fortiolem te nobis exhibes! Ut quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. S. Bern. in F. S. S. Pet. & Pauli.*

## S. HERIBERTUS EP. 16. Martii.

SPLENDOREM D. HERIBERTI, quo sive in aulâ OTTON. Imp. III. sive Pontificatu deinde Coloniensi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriorem fecerunt radii, qui precantem persæpè cinxerunt, aliæque cum admiratione facta. Et fortè cælum imbres suos terris subduxerat, cum ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cum cælo DEVS. Tunc etiam euntem



cuntem columba comitari visa est, & ad extremum in cælos sublimis abire. Eò per infima quæque munera charitatis tendere HERIBERTVS. Itaque pauperulæ filium ipse sacro fonte voluit mergere, alterum tollere mersum, pauperisque cœnæ eo die conviva esse, docturus nostram aetatem, parvo (si velint) opsonare etiam infulas posse. Jam monasterio construendo cum locum circumspiceret, hunc Deipara ipsa signavit, ut viderent Mariani, quæ maximè adificia VIRGO probaret. Sub hæc cum infensus HERIBERTO S. Henr. Imp. esset, castigatus à cælo non dubitavit cum hostili animo purpuram exuere, & ad ipsos Pontificis pedes descendere, veniam osculis lacrimisque rogantibus. Jam moriturus hic heredes scripsit (adeste testamento Pontifices) fratres suos, non quos caro sed pauper Christus germanos fecerat, quosque ille non fratres modò dicere, sed Dominos etiam est solitus. Tum demum in cælum abiit, non aberraturus, quia & Divorum choros obvios habuit, & columba illi jam olim viam monstravit. *Ex Surio.*

*Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias calum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod non dederis, habebit alter. S. Petri. Chryl. ferm. 8.*

S. PATRICIUS EP. 17. Martii.

**P**ATRICIUS puer servitute servit Hibernis, magno horum bono: è servitute enim dominos suos servus eripuit. Id hoc modo factum. Parvulum è Musarum sinu latrunculi in Hiberniam abduxit.